



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus Sponsæ fornicantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



QUÆSTIO SECUNDA.

Quantam Sponsi habeant obligationem conservandi se incorruptos ad futuras nuptias?

C A S U S

Sponsa fornicantis.

Callinia Sponsa Sulpitij peccat carnaliter cum Gundemaro.

Q. An debeat specialiter aperiri hæc circumstantia in confessione?

S Y N O P S I S.

1. An fornicatio Sponsæ sit adulterium?
2. Defenditur Thomas Sanchez contra Basilium Pontium.
3. Concluditur, & probatur, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ non esse adulterium, cum annexis corollarijs.
4. An saltem contineat specialem malitiam, ita ut circumstantia ista, quòd Sponsa sit, vel Sponsus, debeat specialiter in confessione manifestari? Refertur prima Sententia negativa.

M 2

5. Refer-

5. Refertur secunda Sententia, quæ dicit, hanc circumstantiam manifestandam esse ex parte Sponsæ, non verò ex parte Sponsi.
6. Statuitur tertia Sententia, hanc circumstantiam ex utraque parte continere gravem malitiam præter peccatum luxuria, esseque specialiter in confessione aperiendam.
7. Respondetur ad argumenta opposita.
8. Gravius peccatum est ex parte Sponsæ, quàm Sponsi.



Datum est in casu præcedente, ex Sponsalibus oriri obligationem abstinendi ab omnibus ijs, quæ facta à conjugè, essent contra fidem Matrimonij, adeoque servandi corpus suum futuro conjugi incorruptum, quam obligationem si violet Sponsa, peccando carnaliter cum alieno, adulterij ream pronunciant è Juristis complures apud Sanch. L. 1. de Matr. disp. 2. & Jul. Clarum L. 5. recept. Sentent. §. Adulterium. n. 8. cum quibus è Theologis sentit Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. n. 17. Probant autem opinionem suam ex L. Uxor. 13. §. 3. ff. Ad L. Jul. de Adult. Divi Severus, & Antoninus rescripserunt, etiam in Sponsa hoc idem vindicandum, quia neque Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonij violare permittitur.

2. Sanchez l. 6. negat, à Spon-

sa de futuro committi adulterium, atque, in dicta lege, dum idem crimen etiam in Sponsa vindicandum asseritur, intelligi Sponsam per verba de præsentibus, nondum cognitam, cum hac enim æquè committitur adulterium, sicuti cum uxore jam cognita. Ob hanc responsionem indignis modis vapulat Sanchez à Basilio Pontio L. 12. c. 6. n. 6. Erat autem hic turpiter Sanchez, ait Pontius, more suo ferè ubique justo acerbius dentes infigere solitus, ubi opinioni suæ Thomam Sanchez contrarium reperit; Certè in solo citato capite non admodum magno præter hunc locum adhuc quater utitur ejusmodi phrasibus n. 1. bis; cujus oppositum immeritò docuit Th. Sanchez &c. itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sanctius n. 4 non attendit Sanchez, textum hunc ex s. 2. non esse ad rem, de qua agimus. n. 8. ridiculè Thomas Sanchez censet &c. Minor profectò tam indignè tractari à Pontio

Pontio Authorem de re literaria optimè meritum, de quo dixisse scribitur Clemens VIII. Pont. Max. nulum unquam authorem extitisse, qui dubias de Matrimonio controversias uberius, & accuratius enodasset; & Felician. Oliva p. 1. ser. Eccles. q. 29. n. 13. in fine vocat eundem doctissimum, ac diligentissimum in scrutandis opinionibus Doctorum, ut ideo pro multis sufficiat eum allegare. Quantum, obsecro! discrepant ista encomia à dictis Pontij! ut non immeritò jam pridem acerbam ejus crisin averfati sint Castro-Palao disp. 2. de Sponsal. pu. 13. § 6. n. 7. in fine. ubi ait, unicam finem Basilij Pontij in scribendo fuisse, non tam investigare veritatem, quàm dictis Thomæ Sanchez contradicere, & Dicastillo disp. 4. de Matr. dub. 2 n. 25. Vnde non potest, inquit, non displicere Basilio Legionensisi, qui immeritò invehitur in Thomam Sanchez, cujus tractatum amala contentione comatus est superare, ad quem tamen longo intervallo attingere non potuit.

Verùm se ipsum vindicat Sanchez, quia, dum ait n. 3. concedi quidem in dicta lege vindictam Sponso, non ratione adulterij, sed quia per violationem Sponsæ atrox ipsi injuria illata est, per verba subsequents aliquid nihil videtur velle dicere, quàm si quis urgeret, in dicta L. vocari idem crimen uxoris, & Sponsæ violationem, adeoque esse adulterium, verum hoc esse, si in textu citato no-

mine Sponsæ intelligatur Sponsa per verba de præsentem, necdum cognita, juxta id quod dicit Glossa in ead. Discretionem De eo, qui cognov. consang. V. reatum adulterij: & est hoc notabile, quòd adulterium committitur cum Sponsa nondum cognita à viro, quo sensu dum loquitur cum Glossa Sanchez, sanè non turpiter errat, ut Pontius cavillatur.

3. Dicendum itaque, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ de futuro non esse adulterium. Ita cum Sanch. & Julio Claro communis aliorum, Ratio est, quia per talem concubitum non violatur torus alienus, qui Sponsis necdum conceditur ante Matrimonium atqui adulterium est violatio tori alieni, ut illud definit D. Th. 2. 2. q. 154. 4. 3. C. ergo nulum à Sponsis committitur adulterium. item L. Inter. 6. §. 1. ff. Ad Leg. Jul. De Adult. dicitur: propriè adulterium in nuptam committitur: at Sponsa non est nupta, sed neptura: ergo &c. Denique etiam lex superior adducta ab adversarijs, si benè consideretur, potiùs contrarium dicit, apertè enim distinguit violationem Matrimonij, qua est adulterium, à violatione Sponsalium, etsi dicat, utrumque delictum esse puniendum, quod nemo negat.

Ex his porrò deduces. 1. liberos ex tali concubitu natos non esse spurios, sed naturales legitimos, quia solum impedimentum dirimens Matrimonium inter parentes efficit filios

filios spurios, inter istos autem valide, esto illicitè, Matrimonium contrahi potest, unde neque illi sunt Spurij, qui nati sunt ab habente votum simplex castitatis. Laym. Palao, Coninck, Hurtad.

Deduces 2. non excusari ab excommunicatione, qui percutit Clericum deprehensum in fornicatione cum Sponsa de futuro, quamvis eam non incurrat, qui percutit turpiter inventum cum uxore juxta c. 3. De Sent. Excommun. quod à Glossa in *cit. c. V. cum Uxore*. merito extenditur ad Sponsam de presenti, ad Sponsam verò de futuro nullo modo. Gobattr. 10 de Sponsal. n. 6. & expressis verbis Covarr. 4. Decret. p. I. c. I n. 16.

Deduces 3. pari modo non evadere irregularitatem ex homicidio, qui alienum occidit, quem reperit cum sua Sponsa carnaliter peccantem, etsi juxta Laymannum, & alios irregularis non fiat, qui occidit in turpi flagitio deprehensum cum Matre, uxore, sorore, vel filia, sed hoc in alijs personis ulterioribus, eum non ita propinquè attingentibus, uti est Sponsa de futuro, non procedit.

4. Postquam igitur ostensum est, fornicationem Sponsi, vel Sponsæ non esse adulterium, exoritur novum dubium, an saltem in se contineat malitiam specie distinctam à simplici fornicatione, ita ut hæc circumstantia debeat specialiter in confessione aperiri?

Circa hoc triplex est Sententia, quarum quamlibet Card. de Lugo ait esse probabilem, nec esse facile, aliquam ex ijs efficaci argumento impugnare. Disp. 16. Sect. 4. de Sacrament. S. 5. n. 178.

Prima docet, esse solum peccatum intemperantiæ, nec continere in se ullam injustitiam, unde hanc circumstantiam Sponsi vel Sponsæ non necessariò in confessione esse manifestandam, cum opus non sit, aperire eas circumstantias, quæ speciem non mutant, juxta probabiliorum Sententiam. Ita Covarr. l. c. n. 18. Henriq. L. 11. c. 13. n. 4. Vivaldus in candelabro aureo tit. 16. de Sponsal. n. 10. Basilius Portius L. 12. de Sponsal. c. 6. n. 8. Tannerus to. 4. disp. 8. q. 1. dub. 3. n. 42. & alij plures, quam Sententiam referunt aliqui, etiam Azor agnovisse pro probabilioris, sed falluntur in hoc, namque is tom. 3. L. 3 c. 4. q. 6. dum refert Sententiam Covarrubiæ, hæc subdit: licet alij ab eodem Covarrubiæ citati, oppositum senserint, satis probabilis: non ergo agnoscit Azor pro probabilioris hanc Sententiam, sed oppositam. Ratio istorum est, quia non violatur fides in Sponsalibus data, hæc enim data est solum ad contrahendum suo tempore Matrimonium cum ipso, & non cum alio, non autem, quod nolit cum alijs fornicari, quod promissum non obstante fornicatione adhuc impleri potest: ergo præter peccatum luxuriæ non datur
hic

hic aliqua specialis infidelitas, sicuti si quis promisit ingredi certam aliquam Religionem, & postea fornicetur, nullam admittit infidelitatem contra suum promissum. Sed neque datur hic praeter peccatum intemperantiae aliqua distincta injustitia, quia, dum alteri concedit usum sui corporis, non tradit alienum, cum per sola Sponsalia necdum tradiderit Sponso suum corpus, aut jus eo utendi: ergo nulla committitur injustitia.

5. Altera Sententia docet, ejusmodi fornicationem non solum esse peccatum contra temperantiam, sed esse peccatum mortale etiam contra justitiam, si fiat ex parte Sponsae, non autem, si facta sit ex parte Sponsi, adeoque hanc circumstantiam debere exponere in confessione solum Sponsam, quando ipsa fornicata est, sicuti & illum, qui fornicatus est cum Sponsa aliena, non verò si Sponsus fornicationem commisit cum alia quapiam soluta, quae nulli desponsata est. Ita docet Sanch. *L. 1. disp. 2. n. 6.* Filliuc. *tract. 10. c. 7. q. 1. n. 233.* Fagundez *L. 2. de praecip. Eccles. c. 3. n. 20.* Molina *to. 4. de iust. tr. 3. disp. 93. n. 8. ad finem,* Rodriq. Bonac. & plures alij, unde miror, ausum fuisse dicere Basilium Pontium *l. c. n. 8.* ridiculè ita censere Thomam Sanchez, cum videamus, Sententiam istam tot viros doctos fuisse amplexatos, quod nequam fecissent, si esset ista explosione digna, Ratio autem hujus

doctrinae est, quia illa fornicatio est Sponso graviter injuriosa, tum ob infamiam, quam incurreret, si ducat corruptam ab alio, quae tanta est, tantumque aestimatur probrum, ut vix sit ullus, etiam infimae sortis, qui sciens Sponsam esse ab alio defloratam, eam ducere velit, cum notabiliter vilior reddita sit, tum quia insuper conjunctum est periculum, ne Sponsus prolem alere debeat alienam, tanquam suam, & habere haeredem. Econtra si Sponsus fornicetur cum alia, non redditur ipse in hominum aestimatione notabiliter vilior, neque accedit Sponsa simile periculum, neque infamia, consequenter non nisi levis quaedam injuria ipsi inferatur, etiam in eorum Sententia, qui dicunt, hujusmodi fornicationem continere specialem malitiam injustitiae contra jus Sponsae acquisitum per Sponsalia in corpus Sponsi; cum igitur haec injustitia sit solum venialis, non necessariò illius facienda est mentio in confessione.

6. Tertia Sententia asserit, fornicationem tam Sponsae, quam Sponsi esse grave peccatum injustitiae, distinctum à simplici fornicatione, quocirca hanc circumstantiam ab utroque esse aperiendam, quae Sententia ex omnibus videtur probabilior, eamque tenent Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 7. n. 6.* Coninck *disp. 22. dub. 1. n. 6.* Hurtadus *disp. 1. de Matrim. difficult. 2. n. 6.* Dicastillo *disp. 1. de Matrim. dub. 46. n. 663.*
Wielner

Wicftner n. 57. de Sponsal. Præ-
 posit. q. 6. de Matr. dub. 3. n. 23.
 Ratio est, quia fornicatio tam ex
 parte Sponsi, quam ex parte Sponsæ
 præstat parti innocenti sufficientem
 occasionem, ut delinquentem re-
 pudiet, & Sponsalia dissolvat c.
Quemadmodum. De iurejur. ergo, cum
 dissolutio Sponsalium, & repudia-
 tio delinquentis sit aliquid grave,
 & repulso non leviter nocivum, de-
 bet fuisse commissa gravis injustitia,
 & injuria, ex qua oriatur hoc jus
 resiliendi. 2. Probatur. Fornica-
 tio commissa à Sponso, æquè est
 contra jus Sponsæ, quod habet in
 corpus Sponsi, quam illa peccet
 fornicando contra jus Sponsi, quod
 habet in corpus Sponsæ, nam ambo
 sibi mutuò dederunt fidem in con-
 tractu Sponsalium de usu corporis
 sibi tradendi, & nulli alteri, &
 hoc secundum quidem non solum
 per Matrimonium, sed multò magis
 per fornicationem, eò quòd ista lon-
 gè fœdior, & abominabilior sit.
 Præterea fornicatio Sponsi præbet
 Sponsæ occasionem gravis tristitiæ,
 dum videt, aliam fœminam à Spon-
 so plus diligi, potestque meritò
 suspicari, etiam post contractum
 Matrimonium se minus amandam
 esse à Sponso, quæ quidem tristitia
 eò graviore est, quia videt, in fer-
 vore primi amoris Sponsum alienis
 amoribus esse implicitum, & fortè
 magis, quam suo, quod potest mo-
 vere cordatam fœminam, ut malit

millies Sponsalibus renuntiare,
 quam rali viro nubere.

Denique sæpè periculum est, ne
 proles nascatur ex fornicatione
 Sponsi, quæ postea ali debeat com-
 munibus sumptibus, vel si etiam
 alatur sumptibus Sponsi solius, id
 tamen non fiat sine præjudicio Spon-
 sæ. Accedit, quòd ista proles fu-
 tura sit invisæ oculis uxoris, & iden-
 tidem refectura memoriam deli-
 cti sui mariti, unde nascetur aver-
 sio animi, dissidentia, novæ suspi-
 ciones, Zelotypia &c. continet er-
 go etiam fornicatio Sponsi non le-
 vem in se malitiam.

7. Rationes in contrarium ad-
 ductæ n. 4. & 5. facile dissolvuntur;
 quippe hucusque satis ostensum est,
 per fornicationem sive Sponsi, sive
 Sponsæ graviter violari datam fidem
 Sponsalium, & veram injustitiam
 committi contra jus acquisitum in
 corpus Sponsi, vel Sponsæ: esto
 enim neuter adhuc habeat jus in
 corpore alterius, atque ita per for-
 nicationem non dari alteri usum cor-
 poris alieni, habet tamen jus ad
 rem per Sponsalia sibi acquisitum,
 per quæ sibi invicem sunt polliciti
 non solum dare corpus in Matri-
 monium, sed sibi etiam simul, sal-
 tem implicite, promiserunt, serva-
 re corpora illibata usque ad Matri-
 monium, nec ulli alteri permitte-
 re illius usum, consequenter non
 fornicari, quia traditio, quæ fit al-
 teri per copulam fornicariam, par-
 ti

ti innocenti multò detestabilior est, quàm traditio Matrimonialis. Præterea, quando res quæpiam debetur alicui ex contractu, peccat procul dubio contra justitiam, qui rem istam concedit alteri ad usum illi nocivum, cui promissa est, vel ex contractu debita, v. g. si equus mihi sit debitus ex contractu, quamvis necdum illius ego dominus sim, grave injustitiæ crimen adversus me committeret, qui oculum ipsi erueret; ergo cum corpus Sponsorum sit ex justitia debitum, licet necdum sit traditum, abusus illius per fornicationem summè nocivus, & infestus parti innocenti, ultra delictum fornicationis continet insuper crimen injustitiæ, & sic ea circumstantia specie diversa necessarid in confessione aperienda est.

Paritas adducta de Religione non facit ad rem, quia votum Religionis fit Deo, non religioni: cum ergo religio per hanc promissionem necdum acquisiverit ullum jus, etsi talis fornicando peccet contra castitatem, non tamen peccat contra justitiam, inferendo religioni injuriam, nec peccat contra suum votum, nisi per hoc se redderet minùs

aptum ad ingressum religionis: satisfacit igitur, si dicat confessario, se esse fornicatum.

Præterea nihil probat id, quod ajunt Authores secundæ Sententiæ, ex fornicatione Sponsi non oriri Sponsæ ullam infamiam, quia istud non impedit læsionem juris, in quo consistit injustitia, aliàs etiam adulterium ex parte viri commissum non esset injustitia, quia rarò ex illo infamia uxori proveniet: similiter ista injustitia etiam per hoc non tollitur, quòd fornicatio sive Sponsi, sive Sponsæ occulta sit, quidquid dicat Perez *disp. 6. sect. 4. n. 10.* quamvis concedam, quando penitus occulta est, non esse obligationem defectum istum manifestandi alteri parti innocenti, de quo alibi agetur.

8. Istud interim non negaverim, gravius esse peccatum ex parte Sponsæ, quia redditur ipsa multò vilior, estque viro multò probrosius, si ducat ipse corruptam, quàm Sponsæ, si nubat viro, qui fornicatus est, unde in communi æstimatione gravior censetur injuria, quòd Sponsa fornicetur, quàm Sponsus, cum major requiratur honestas in scæminis, quàm in viris.



N

Quæstio